

Valentin Schreck


Amicicia Exvlans. Carmen Valentini Schreckij Aldenburgensis

Rostochii: [Stephan Möllemann], 1570

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1768062919>

Druck Freier  Zugang






Cq - 3736





AMICICIA
EXVLANS.

CARMEN
VALENTINI SCHRE-
ckij Aldenburgensis.




ROSTOCHII.

ANNO M. D. LXX.

ARGUMENTVM
Dialogi.

AMICICIAM à Mundo
marito suo foràs eiectā, obuius
videt Hospes, & statum eius
deplorat: cui ipsa rem omnem
enarrat de iniurijs & ingratitude mari-
ti, qui se expulsa, ancillæ suæ Stulticiæ
consilio, pellicem Inimiciciam duxerit. obi-
terq; sua commoda, quæ toti rerum vniuer-
sitati inde vsq; ab initio mundi attulerit,
Inimiciciæ verò mala enumerat. Tandem
ab hospite persuasa, cum eum veras A-
miciciæ virtutes & officia docuisset,
ab eo in vxorem ducitur.



ROSTOCKII
ANNO M D LXX

AMICICIA
EXVLANS.

INTERLOCVTORES,
HOSPES, AMICICIA.

EXVL Amicicia ignotis errabat in agris,
Passa comas, laniata sinus, rerum omnium egena,
In tristiq; graues iterabat corde querelas:
Quam procul ut uidit uenientem & multa gementem
Talibus aggrediens suscepit uocibus Hospes.
HOS. Dulcis Amicicia, & mundo uenerabile nomen,
Dic quaeso unde uenis uultum demissa, genasq;
Humectans lachrimis, crines lacerata decoros?
Pallor in ore sedet, te pulla & luctibus apta
Vestis dedecorat, tibi zona haud mollis, & istis
Indignæ pedibus crepidæ sunt: Impia diua
Est comes, alternas quæ res permutat in horas.
O ubi regales auri subtegmine uestes?
O ubi, qui fuit ante, decor? uultusq; serenus,
Purpureæq; genæ, capitisq; ornatus, & ingens
Gratia, magnificam quæ te uestire solobat?
Omnia sunt sublata, decus tibi triste relictum est,

A 2

Quale

Quale solet tumuli mœstas decorare ministras.
Sed dic unde uenis? quorsum pedes ire laboras?
AMI. Æthereas repeto sedes tellure relicta.
HO. Nunquid Amiciciæ est cariturus munere Mundus?
AMI. Muneribus nostris iniurius ille carebit.
HOS. Et quid ei tantum de te licuisse putandum est?
AMI. En regno demens miseram me ciecit auito.
HO. Expulit ille autem? AM. pœna & multauit acerba:
Iam mihi crudeli sum uisa occumbere letho.
HO. Ergo expulsa foris iacuisti? AM. Atqui ille nefandis
Concisam flagris tristi me sorte subegit.
HOS. Atqui ea uesanum cœpit dementia Mundum,
Tam graue supplicium ut de te illi impune liceret?
AM. Cætera quid repetam nostrorū exhausta malorum?
Iam faciem pugnis fœdabat & ora cruentis,
Afflictamq; supertundebat calcibus aluum.
Sed taceo his longè grauiora incommoda, curæ
Ne tibi fortè meæ pariant exempla dolorem.
HOS. Profer, & ex animo mordaces eijce curas
O dea, te summi rogo per genitoris honorem.
AMI. Ergo hic arborea frigus captemus in umbra,
Aspicis ut leto formosa cacumine pinus
Surgat, & umbrifero se uertice tollat in auras.
Hic tibi rem cunctam repetens ab origine pandam.
HO. Fare age quandoquidem in molli confedimus herba.
AMI. Ipsa ego cum triplici deitatis numine iungor

Pura

Pura mente dea, & reliquus mihi coctus adheret
Terrenos supra tractus, atq; aurea cœli
Templa, animi ætherici, & turba omnipotentis Olympi,
Aligeri Cherubin, flammantesq; Seraphin,
Cœlestesq; throni, & quicquid super ætheris axe est.

Tum uerò inferior quæcumq; sub æthere mundus
Sensibus humanis obnoxia continet, hæc quis
Addubitet nostra constare & lege teneris
Quamuis Empedocles falsis insomnia miscens
Lite noua exortum ferri & consistere mundum
Finxerit, indignus sapientis nomine dici,
Nescius hic ignem flamma crepitante cremare
Omnia, in ardentem se immisit feruidus Aetnam.

Quis uerò astrigeri formosa palatia cœli
Directo extensa spacio, ceu linea, quondam
Cum Pater omnipotens sinuosa uolumina fecit,
Præter Amiciciam, circo conclusit eodem?
Nempe olim nitido splendore insignis Olympus,
Et res ante alias longè pulcherrimus omnes,
Captus amore sui formam miratus, & uno
Conueniens secum amplexu congressus amicè est.

Ipsa ego sidereos formosis flexibus orbis
Astrorum, nitida septem qua luce planeta
Irradiant, seu fixa suo quæ sidera perstant.

Fœdere, connecto uinclis atq; ordine pono.

*Per me Phœbeus Lunæ committitur orbis
Lumine perpetuo flagrans, fons lucis & auctor,
Par in utroq; amor est, tantusq; ut lampade fratris
Freta soror pellat nocturnas Luna tenebras.*

*Quin etiam cunctis uitam præbentia rebus
Prima elementa, licet formis pugnantibus apta,
Fœdere perpetuo & per mutua uincula iungo.
Siccus ut est Ignis, sic Aër humidus illi
Pugnat: ego tantas passa haud crudescere lites
Immitto ambobus communi lege calorem,
Mutua & hinc adedò nacta est discordia finem.
Aëra constringit calor, est Aqua frigida, & ambo
Certabant odijs, sed me duce mutuus humor
Insinuans sese pugnam litesq; diremit.
Est etiam suus humor aquis, riget arida Tellus,
Frigus at amborum, me sic faciente, resoluit
Quæ gliscunt, iras, dulci ligamine nectit.
Atq; hinc, quicquid ubiq; uidet, exordia sumunt.*

*Iam quascumq; uices Phœbus, quæ tempora mutat,
Tempora uolentem toties uarianda per annum
Ipsa ago: non aër hyemis mutatur in æstum
Illicò, ne sese hinc inter contraria pugnent.
In medio sed enim aduersus uer temperat aurat.*

Nec

4
Nec uerò æstati succedunt tempora Brumæ,
Autumnus partes grata uice diuidit anni.
Partibus his ad eò series formosa dierum
Texitur, itq; reditq; frequens, in seq; recurrit:
Non aliter quàm uirgo legit quæ pollice fila,
Percurritq; leui inuigilans subtegmine telam,
Sic æstas & hyems, autumnus, & auricomum uer
Conficiunt, ceu fila, dies, unde annus, & omnis
Iucunda serie, ceu tela, absoluitur ætas.

Per me uitæ etiam mortali in corpore uires
Constant: namq; ualens natura, & splendida forma
Sunt mea dona: sed hoc quî fiat fortè requiris?
Quatuor humorum cùm se per mutua iungit
Vincula consensu, corpus uiuitq; ualetq;.
Quod si membra etiam series disposita decenter
Ordine connectit iusto, & calor additur illis,
Iam non falsa bonam commendat gratia formam,
Hisq; ualetudo, & formæ decus, optima dona
Me faciente manent humana in gente, uigentq;.

Fœdus Amiciciæ coniungit mœnibus urbes,
Et ciues sociat: lateres ego uastaq; molis
Pondera cum saxis summa ad fastigia ducens
Accumulo in murum, geminos molimine muros
Angulus unus habet, qui bis geminatus ab arte

Exit,

Exit, & amplectens domuum tecta integra firmat.

Præterca reliquis ars consuetudine iungit
Quemq; sua, atq; inter mortales fœdera seruat
Me duce: Fullonem sutoris gratia querit,
Toruus equum domitor, qui frena incude refingit.
Atq; opifex querit degentem in rure colonum.
Sic adeo ars arti coniungitur: omnis in undis
Piscator timidus qui tendit piscibus hamos,
Indiget agricola, agricolam piscator & ipse
Capto pisce iuuat donatus farre coloni.
Ars sic artis egens homines atq; oppida iungit.

Pronuba quin etiam thalamorum fœdera necto,
Vxoresq; uiris, uxoribus inde maritos
Concilio, & facio hos ut mutuus ardor adurat.
Cur etenim æquoreo muræna assueta profundo
Deserit æquoreas undas? nempe arduus illam
Cogit amor, quibus est nutrita, relinquere fines
Thetidos, atq; alio sub littore querere sedem.

Quid facit ut magnes trahat ad se robora ferri,
Quam tacita, atq; ignota hominum concordia, sensu?
Deniq; quicquid ubiq; hæret, quod uiuit, & usquam est,
In me hæret, uiuitq; & in omni tempore durat.

Sed dicam maiora, hominum non cognita sensu,
Ipsa DEVM mundi autorem qui cuncta gubernat
Æterno

Æterno genitum patre, inenarrabile uerbum,
Cœlesti lumen de lumine, cuncta mouentem,
Seclorum posuit qui tempora temporis expers,
Adduxi, ut mundi hunc DEVS ipse inuiseret orbem
Natus homo, & fragiles indutus corporis artus
Quos formosa caro, matris de sanguine tincta,
Amplectens tenui circumueclabat amictu.
Passus & ut tandem lacrimoso in funere uitam
Poneret: ô quanta hæc dilectio, & ô amor ingens,
Per quem non puduit, mortali in corpore formam
Indutum, miseram in mundo deducere uitam,
Autorem rerum, per quem mortalia uiuunt.
Sic namq; ille DEI in nobis reparare figuram
Extinctam uoluit: dulcisq; per ardua uitæ
Funera, cam miscriis mortalibus instaurauit.

Hæc bene de Mundo merui, hæc ego munera egenti
Nec quicquam exhibui, ueluti quis inungere manes
Si uelit, aut asinos cantu mulcere, lyraue.
Ipsa uiro iunxi me illi, propriamq; dicaui
Ingrato: hei, mihi qui stultusq; miserq; malorum
Causa fuit, lecti exosus pia iura, meumq;
Contemnens thalamum, impuro dum captus amore,
Nostro inimiciciam demens in honore locauit,
Consilio adductus famulæ, quam nomine dicunt
Stulticiam: misera ipsa tuli contempta repulsam.

A 5

O leges

O leges leges, scelerati fœdera lecti
Vir colit, atq; nefas, ueritus nil, improbus ille
Nec facinus celat, nec iustum æquumue tuctur.
Et que tanta uiro spretam me crimina reddunt
Ecquid habet ueræ laudis cur altera ametur?
Atqui ego si me illi componere fortè laborem,
Vix propria ueniam, quam profero, laude merebor.
Blanda mihi facies & honestis risibus apta,
Me Charites decorant, suauiq; in uoce lepores
Vltro adsunt, leuitate carent risusq; iociq;
Ipsa bonos castis manibus complector honestè,
Incessuq; grauis frontemq; oculosq; sereno.
Fercula seu lauto splendent condita sapore
Seu sale exiguo, fortunam in utramq; parata
Rectè ago, nec tenui mensæ altum præfero luxum.
Iucundo intueor conspectu oculisq; benignis
Læta bonos, interq; malos non omnia curo,
Quamuis aspiciam: porro hæc me crimina lædunt,
Peruersi mores, falsæ & simulatio mentis.
Sic me uita regit mea: nunc porrò accipe, pellex
Quis Inimicitia illa insignis adultera donis
Se ferat eximiam. cædes & bella cruentant
Inuisaq; manus, faciemq; informis & ora
Pallor habet, maciesq; hærens, sermo horridus, & uox
Rauca sonans, passim lites ferit, atq; tumultus.
Quis sapiens igitur me spreta ascisceret illam

Dic

8
Dic hospes, scortum impurum Bacchanq; ferocem
Mundus at infelix longeq; miserrimus audet
Tàm crudele nefas æquo iustoq; repugnans.

Tot tantisq; malis quamuis, autore marito
Obiecta infester, tamen haud odisse maritum
Mens mihi: AMICICIÆ PROPRIVM EST CON-
STANTER AMARE.

Fortè sed obijcias: tanti tu irata maritum
Criminis accusas, culpamq; ostendis inanem.
Stulticia in causa est famula, hæc te perdidit ultro,
Dum scelus ante oculos adducit, & omnia tentans
Indefessa uiri stimulos sub pectore uertit.
Tu nihil hanc contra meritam, quin pectoris æstum
Euomis in solumq; uirum, in soloq; moraris.

Si culpam his dictis cuiquam meruisse uidebor,
Contra ego sic iusta culpam ratione refellam:
Culpa uiri est, qui me uxorem contemnit, & aurcs
Ancille præbet, quamuis seruile malignum
Esse genus norit dominis, quos turpiter odit.

Nunquid ad hæc legum thalami communis Erynnis
Iura thori seruet, quæ soluit cuncta? quid autem
Me sine iura thori aut rerum coniunctio possit?

Quis mentem error agat, quæ sit dementia Mundi
Inde uides, nec enim, rerum quod mutua soluat
Iura Inimicitia, & nil iungat, nosse putetur.

Hee

Hæc seire ut possis peregrina exempla docebunt:
Sæpe suum miscens animis Discordia uirus
Fasq; piúmque inter cognatos sanguine turbat,
Oedipodionios, si nescis, aspice fratres,
In sua crudelis quos egit uiscera cædes
Causa Inimicitia: ignotos ego pectore iungo
Vnanimi, ut fratrum illorum sit gratia maior.
Hoc animo Pylades charo sociatus Orestis est,
In duris quorum spectata est uiuida uirtus,
Factaq; passim ad eò tragicis agitata cothurnis.

Mæonij uerò quis nescit carmina uatis?
Illic infensum Atridæ atq; extrema minantem
Dum furor exagitat sæua & Discordia Achillem,
Hæctor Priamides molitur clasibus ignem,
Graiu genum haud prohibente manu, nec fortis in armis
Hoc arcere malum potuit Telamonius Ajax,
Quamuis mole graui atq; inuictus uiribus esset.
At simul ut per me furor & grauis ira resedit
Pelidæ, penitus mutata est tessera belli
Et qui uictor heri fuerat, discrimine lethi
Victus abit: fortisq; Hæctor, qui immanibus ausis
Cæde furens debellatos superarat Achiuos,
Mox religante pedes loro resupinus inani
Dependet curru, atq; iugo raptatus equorum
Qui Danaum circumuolitant rapido agmina cursu,
Fœdat formosos immundo in puluere crines,

Et

Et iucunda miser præbet spectacula Graijs.

Hæc, hospes, me discernunt à pellice, facta,
Vnde utra sit melior poteris dinoscere, coniunx
Sed non ista meus secum sub corde uolutat,
Qui iura exosus mea me nil tale merentem
Reppulit, atq; illam imprudens in regna recepit.
Nunc abiens repeto patrias super æthera sedes,
Mundum uel genius malus & Discordia uexet,
Liberè & illius proles sub fidere ludat.
Quæ proles sit fortè rogas? genus ordine pandam:
Liuor iners, latro qui cæde & sanguine gaudet,
Insidijsq; uacans, nati sunt: filia porro
Bellona, Improbitasq; & non placabilis ira,
Hos amet, hos habeat natos, quîs perditus olim
Succumbat coniux, nunc sese oblectet in illa
Egregia uerò sobole, atq; in stirpe nepotum.
Ipsa ego ad ætheri hinc conscendo palatia regis,
Circum me comites, puræ Miseratio mentis,
Atq; hominum Fautor, & sapiens sub pectore Zelus,
Et recti iustiq; tenax peramabilis Ardor,
En omnes pariter mecum discedere gaudent.
HOS. Et uideo & dolco tete hinc super æthera ferri
Dulcis Amicicia: ô domina, & uenerabile nomen.
Hinc adeò mecum quæ sint uentura reuoluo
Te cedente, mala: ô miserum stultumq; maritum,

Vt pi-

308

Vt piget amentis, lachrimas nec sistere possum.
Digna quidem Mundo pro crimine facta rependis
Hinc abiens: sed me lachrimantem & triste gementem
Respice, diuinum summi per patris amorem,
Per longa aeterni spacia antiquissima secli,
Perq; animas caeli aetherias, actusq; pudicos
Te precor, o requies animi, diuinumq; uoluptas
Huc ades, atq; inopis congestum cesspite culmen
Hoc tугurine sperne: sed hic tibi figere sedem
Haud pigeat, sobria en parcus tibi poela uolenti
Libo hospes, Cererisq; tibi haec alimenta ministro,
En salem, puris atq; hanc e fontibus undam.

AMI. Quid facis o hospes: ne me retinere labora
Tot pressam damnis & tot mala plurima passam,
Non decet hoc iterum caput obiectare periclis.

HOS. Et pro iure tuo & recte domina optima dicis,
Quae uentura caues grauium memor ante malorum:
Verum ego meq; caputq; meum sub iure fideq;
Perpetua astringo tibi, ne contrarius unquam
Aut tentare sciens aut quicquam agere improbus ausim,
Quin mihi certus amor, certum mihi foedus ubiq;
Tecum semper erit, uerba haec testantia iuro
Quae praesens ueneranda mihi non uana locuta es,
Huc agedum concede, meisq; hic utere rebus.

AMI. Fare age, si te uxor fuero dignata cubili,
Hec mihi nunquid crunt tecum sponsalia dona?

HOS.

HOS. *Quæ tibi dona autem tanto pro munere poscīs?*
AMI. *Nunquid ad alterius facilem lætabere sortem?*
HO: *Lætabor.* A. *num damna etiam peregrina dolebis?*
H. *Sic faciam.* A. *nec corde aliud linguaq; loqueris?*
Verum animi prodes sermone in simplice sensum?
H. *Maximè & hæc: sed tu quæ uis dea cætera quære.*
A. *Alterius ne potes proprias postponere rebus?*
H. *Possum equidem.* A. *dulcémne etiam profundere uitã*
Pro socijs mens est, si rerum ita postulet usus?
H. *Est animus.* A. *non inuidiam inuidiãq; rependes?*
H. *Non.* A. *sed & osores animo constanter amabis?*
H. *Cuncta equidem efficiam.* A. *ab metuo, dum plurima*
Ne promittendo facilis sis, tardus agendo. Spondes,
H. *Et promitto quidem, & tibi per sacra omnia iuro.*
A. *Iuratum serua, & quo uis te cumq; sequemur.*

FINIS.



HOS. Quo libi dona autem tanto pro numeris f...
AM. N... ad aliter f... in latere f...
HO. I. L... A. non danna... p... d...
H. S... A. nec cor... f...
V... p... f...
H. Max... f...
A. Al... f...
H. P... A. d... f...
P... f...
H. E... A. non... f...
H. R... f...
H. C... f...
P... f...
H. E... f...
A. I... f...

FINIS



et piget amentis, lachrimas nec sistere possum.
na quidem Mundo pro crimine facta rependis
abiens: sed me lachrimantem et triste gementem
diuinum summi per patris amorem,
eterni spacia antiquissima secli,
s cœli ætherias, actusq; pudicos
requies animi, diuinumq; uoluptas
inopis congestum cesspite culmen
ne: sed hic tibi figere sedem
en parcus tibi poela uolenti
tibi hæc alimenta ministro,
c est fontibus undam.
AMI. ne me retinere labora
Tot pressa mala plurima passam,
Non decet obiectare periclis.
HOS. Et proamina optima dicis,
Quæ uentura est, ante malorum:
Verum ego meq; cure fideq;
Perpetua astringo, nunquam
Aut tentare sciens auerprobus ausim,
Quin mihi certus amor, ubiq;
Tecum semper erit, uerba
Quæ præsens ueneranda m
Huc agedum concede, meisq;
AMI. Fare age, si te uxor fuero
Hæc mihi nunquid crunt tecum spo

